

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

XXXIV. De Cataracta Crystallina Vera, Dissertatio Medica.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

XXXIV.

DE CATARACTA  
CRYSTALLINA VERA,  
DISSERTATIO MEDICA.

*Quam Præside*

J. FRID. CARTHEUSER P.P.

*Tuebatur*

JOACH. FRID. HENCKEL,

CHIRURGUS.

Francofurti ad Viadrum 27 Junii 1744.

L 3



1734  
DE CATALANICA  
CRISTALLINA VERBA  
DISSERTATIO MEDICA  
AUCTORIS  
J. FRID. CARTHEUSER P.  
M.D.C.C.C.  
IOACH. FRID. HENCKEL  
CHIRURGUS  
LUGDUNO BATAVO



## §. I.

A Dmirabilem organi visus structuram nemo unquam serio contemplari potuit, quin in sapientissimi conditoris encomia excurrere quasi coactus fuerit. Et omnino affabre oculus coordinatus est, ut diversa objecta simul, maxima colorum & formæ varietate, locorumque differentia inter se distincta, nihilo minus summa celeritate dispiciat: quod sane omni admiratione dignissimum; *conf. celeb. HALLER in comment. ad institut. Boerhav. vol. 4. p. 220. g.* Quantum vero solatii adferat undiquaque indennis artificiosissima oculi fabrica, noverunt illi, qui haud satis deplorandam desideratissimi hujus organi passi sunt jacturam; imo & ii, qui vel leviozem saltem ejusdem animadvertunt noxam. Tamen si vero ad beate vivendum visus incolumitas maxime exoptetur, atque in sui conservationem & defensionem varia oculi obtinuerint præsidia, nihilo fecius pluribus periculo plenis casibus subjacent. Non enim extraneis dumtaxat obnoxia sunt insidiis, verum & domesticos hostes alunt: quod patet attentius intuenti membranulas tenuissimas, vasculorum multiplicium texturam tenerrimam, humorum adeo diversorum circulum, universam denique machinæ hujus, ut ut parvulæ, œconomiam amplissimam. Non vero animus est, in præfenti Dissertatione omnium morborum, oculos afficientium, historiam texere, unius saltem meminisse placet, scilicet ejus, quo crebrius lentem, crystallinam obscurari comperimus, cæterorum vero disquisitionem alii tempori reservamus.

## §. II.

Hoc lentis crystallinæ vitium, patria lingua *der graue Staar* dictum, veteres artis medicæ statores *suffusionem* adpellare solebant, recentiores autem *cataractam*, Græci *hypochysin*, *hypochyma*, & Galli denique *cataraçte* vocant. Uberiorem horum rationem D. Schacher in *dissertatione de cataracta* adfert.

## §. III.

Loguum foret, eas recensere controversias, quæ circa *cataractæ* genesis, sedem & proprietates in scholis chirurgicis agitatæ hætenus fuerunt; neque etiam me judicem partium dissidentium constituam. Sufficit saltem commemorare, omnium passim auctorum sententiam in eo convenire: *cataractæ* scilicet nomine comprehendi opacitatem, quæ in parte oculi anteriori per corneam transparentem, sive in ipsa pupilla, sive retro eamdem



dem sese manifestat, quæque visum paululum hebetat, aut prorsus impedit & obscurat. Quæ diversa oculi affectio causa existit, cur eam auctores in diversas species dividerent. Verum, cum & in hoc dissentientes eos offendam, intactis illorum opinionibus controversis, meam saltem adferre lubet sententiam.

## §. I V.

*Cataractam* optime dispesci arbitror in *veram* & *spuriam* sive *falsam*. *Veram* nuncupo, quando pars organica oculi opaca redditur. *Spuriam* vero dico, quando visus quidem obscuratur, attamen sine vitio partis organicæ. Porro *cataracta vera*, vel *crystallina* est; vel *membranacea*, vel *mixta*. Prior lentem crystallinam obscurat; altera telam seu capsulam lentis occupat, mixta tandem utriusque opacitatem notat. Rursus *cataracta spuria* distinguitur in *membranaceam* & *crystallinam*. *Membranacea* oritur, dum humorum oculi quispiam corruptelam patitur, extravasatus in pupillæ margine adhærescit, & præternaturaliter formata membrana conspicitur: *crystallina* vero, quoties ex capsula ipsius lentis liquor corruptus profluit, & lentem eidem innatantem dissolvit, vel lens ipsa in liquamen diffluxit. Superfedeo prolixiori oratione, cæteras *cataractæ* species describere, quæ Gallice vocantur *cataractes mures* & *non mures*, *branlantes*, *barrées*, *adherentes*, *simples* & *compliquées*, à *ressort*, en voyer Mr. Dionis, Maitre-Jean, St. Yves, Brisseau, &c. cum, postulante themate electo, de *cataracta crystallina* & quidem *vera*, tantum differere mihi incumbat.

## §. V.

Ex præfatis igitur patet, *cataractam crystallinam veram* esse morbum, qui humorem crystallinum diaphaneitate sua privat, quæ exorta opacitas à spissitudine humoris lentis crystallinæ atque partium, lentem crystallinam componentium, densitate, naturali longe majori, derivanda est. Unde non immerito celeb. Astruc *cataractam crystallinam* scirrhum appellat, & Clariss. Dn. Nicolai Prof. Anatom. Argentor. in annotationibus super lib. de morbis oculorum ita de ea disserit: *peculiarem inflammationem esse huic morbum lentis crystallinæ jure existimamus cum celeb. Pitcarnio, nimius enim calor coagulationem liquidorum circulantium facit; corpus crystallinum quoque est ejus indolis, ut, si majori paulo calore exagitur, opacum fiat, exactissime referens colorem cataractæ, uti ex recentissime mactatorum animalium sumptis lentibus aquæ tepidæ inniis expertus sum. De his plura §phis sequentibus.*

## §. VI.



## §. VI.

Exactam vero cataractæ diagnosin si habere cupiamus, sedulo in causas, quibus hoc vitium originem suam debet, inquirendum est. Hæ vero tum in fluidis, tum in solidis persæpe latent. Tenuissima namque lymphæ, per lentem crystallinam circulans, opacitatem eidem inducere potest, si ea nimirum naturalem suam fluiditatem amiserit, & tenacioris indolis evaserit: quamobrem hic liquor limpidissimus, à crasi sua recedens, circulationi perenni ac nunquam interruptæ per vascula summæ exilitatis ineptus redditur, & moras itaque necens sensim, sensimque spissior efficitur, donec tandem, subtilissima liquidi parte dissipata, crassiori vero magis condensata, penitus indurescat, ita ut lentem crystallinam lapideæ soliditatis quandoque contueamur. Cujus rei exemplum Mr. *Morand*, chirurgus dexterimus Parisinus, in museo suo inter plura visu digna asseivat, atque, docendo cursum operationum chirurgicarum, auditoribus numerosissimis, (quibus & ipse interfui) ostendere solet, hamorem nempe vitreum, in osseam consolidatum duritiem, & huic inhærentem lentem crystallinam propemodum petrefactam, de quo legantur quoque institutiones Dn. *Heisteri* chirurgicæ p. 602.

## §. VII.

Inter plures gravissimos testes, oculi humores in substantiam lapideosolidam degenerare posse, adserentes, est quoque celeberrimus *HALLERUS*, (vid. *ejusd. comment. ad instit. Boerhavianas*, vol. 3. p. 707.) Neque pathologia hujus possibilitati refragatur, quin imo evidentissime id ipsum probat. Siquidem diætæ vitia, mœror nimius, vita sedentaria, ætas senilis, seri & sanguinis evacuatio nimia, virus venereum &c. spissiores lympham reddere valent. Cui si focia accefferit causa quædam externa, facillimo negotio tristissimus hic oculorum affectus consurgit. Inter causas externas potissimæ sunt, frigus extremum, calor nimius, aquæ bullientis adpersio, ophthalmia contumax, aspectus diuturnior objectorum minutissimorum, (cum per eundem musculorum quadantenus suspendatur actio, qua cohibita, sanguinis circulus quoque tardior evadit,) corruscationes fulguris, ignis lucidioris continuus intuitus, irradiationes luminosæ, adstringentia temere in ophthalmiis usurpata &c., quarum quælibet, nullo etiam lymphæ vitio concurrente, cataractam crystallinam producere valet, præsertim, si quædam ex his causis, vel plures simul, pertinacius persistierint. Plures hujus momenti historias vide apud *Clariss. Brisseum*.



## §. VIII.

Præterea partes solidas lentis crystallinæ, etiamſi lymphæ vitio careat, cataractæ ſubjectum ſubinde conſtituere, ex pluribus obſervationibus innotuit, ſi nimirum tonum ſuum amiſerunt, aut læſæ fuerunt ictu violento, contuſionibus, vulnere, affluxu copioſioris cruoris & lymphæ. Idem contigiffe obſervatum eſt in hemicrania frequenti, cerebri infarctu, faciei eryſipelate, coryza frequentius revertente, totius oculi incremento nimio &c. Videatur *Differt. de viſus obſcuritate à partu ſub præſidio Clar. Alberti Hale habita 1732.* Orta enim atonia ſolidorum, eorum cohibetur reactio in humores, hi vero cumulantur, ſtagnant, in coagula abeunt, & tandem indureſcunt, atque ita cataractam formant.

## §. IX.

Impeditam vero circulationem humorum oculi, revera cataractam inducere, cuilibet experiri licet. Lentem enim crystallinam animantis demortui contemplanti ea cataractæ incipienti ſimillima adparebit. Quare cum ſolida æque ac fluida hoc vitii genus inferre poſſint, tanto facilius id ipſum eveniet, quanto plures cauſæ ſimul in hujus mali generationem conſpirant.

## §. X.

Has, dum genuinas noſtri affectus cauſas eſſe exiſtimo, minime in eorum abire placet ſententiam, qui acidum corroſivum pro cauſa agnoſcunt: neque experientiſſimo *Petit Medico Pariſino* ſubſcribo defendenti, contractionem validiorem muſculorum & membranarum oculi lentem crystallinam comprimere, ejus partes diſtorquere, atque ita eam opacam reddere, quemadmodum hæc legimus in *ejus epistoſa gallico idiomate contra Clar. Hequet ſcripta*, in qua prolixius de oculorum morbis diſſerit, ſimulque opinionem celeb. *Morgagni* exhibet atque refutat, lentem crystallinam indurari & obſcurari autumantis ob defectum liquidi capſulæ lentis. Sed neque horum neque aliorum aſſerta epicriſi notare vacat; unde, his miſſis, atque mea ſententia propoſita, ad diagnoſin tranſgrediar.

## §. XI.

Quo igitur quis convictus ſit, cataractam omnino aſeſſe, probe animadvertere debet, an pupillæ color à naturali receſſerit, & an poſt eandem, albicans ut plurimum, opacitas obſervetur; etiamſi frequentiffimis obſervationibus innotuerit, plures, antequam memorata cataractæ diagnoſis appareat, conqueri, viſum hebetari, atque ſeſe minus diſtincte, nec conſueto  
alias

alias more, objecta, præsertim remotiora, discernere posse. Serpit enim hoc vitium quandoque non advertentibus iis, qui eo dudum correpti sunt. Ita namque fidissima experientia certissime docet, quosdam cataracta jam laborasse, & nondum tamen ejus præsentiam animadvertisse, donec casu ipsis innotesceret; dum scilicet ab aliis pupillæ opacitas observata fuit, vel ipsi uno dumtaxat oculo, alterum claudentes, in objecta divagari nitebantur. Quæ res errori occasionem præbuit & effecit, ut cataractam subito obrepisse, autumaverint.

## §. XII.

Concludes ergo, cataractam jam jam incrementa sumere, quamprimum opacitatem quamdam lenti crystallinæ in forma nubeculæ subalbide, quodammodo densioris, paululumque profundius vides innatare, (communiter enim dicta opacitas in lentis medio visitur, quamquam *Clariff. Juncker* aliter sentiat) teque certior reddent patientis querelæ, atque judicium tuum confirmabunt: accusabit namque visus imbecillitatem, ac querulus referet, sibi objecta adparere, ac si ea interjecta sindone aut cribro cerneret, oculis observari puncta quasi volitantia nigra, item crines & muscas sese observare & similia, pro varietate nimirum conditionis, & magis minusque solidescantis & expansæ cataractæ. Observabis porro, opacitatem sensim sensimque augeri, & latius sese diffundere, nunc quidem pedetentim & lente, nunc vero ocyus, pro vigore scilicet causæ malum producentis. Exemplum habemus in senibus, in quibus, ob ordinariam humorum spissitudinem, & majorem proinde dispositionem, cataracta celerius suboritur. Eo magis autem visus obscuratur, quo magis opacitas lentis increfcit, quam evidentissime adesse enunciabis, quando maculam quamdam opacam lactescantis coloris inibi apparere cernis, pupillam sensim occupantem, ac tandem prorsus obducentem. In hac visus obscuritate, prius quam ad acmen pervenerit, patiens primo nihil distincte, tandem umbræ saltem speciem discernit, eoque tempore lens à latere conspecta, circum nigrescentem spectandum præbet, qui vero cataracta increfcente dearefcit, minorque evadit.

## §. XIII.

Hanc igitur cataractam à cæteris speciebus, infallibili ferme judicio, his signis dignosces (1): à cataracta membranacea vera, quæ tenuior, planiorque offenditur, & proxime pupillæ adhæret, nec circulus ille nigricans supra descriptus quoque observatur, qui tamen quandoque adesse poterit, si videlicet opacitas capsulæ crystallinæ non nimium increverit, & pupillæ centro sese opposuerit (2). A glaucomate autem cataractam crystallinam veram discernes, dum glaucomatis opacitas retro magis versus

M 2

lente.



lentem visitur, quam in cataracta (3). A cataractis falsis, v. g. purulenta &c. exacte eam, de qua agimus, distinguere, majoris videtur difficultatis (4). Si pars opaca lentis non prorsus cohæreat, sed filamenta seu fibrillulas hinc inde sparsas exhibeat, *fibrosa*, Gallis *cataracte barrée*, dicitur; varias enim figuras sæpe dictam opacitatem habuisse, observatum est (5). Rursus aliam cataractæ speciem *fluctuantem* vocant, de cujus generi disceptant inter se authores: alii enim contendunt, eam oriri, postquam lens crystallina prorsus indurata, & quasi atrophica adfecta est; hoc enim pacto, dum nimirum lens inspissatur, fit, ut ea minori longe diametro describatur, quam illa cavitas, cui inhærere consuevit, ac proinde cum toties, quoties objectorum radios colligere annititur, pro illorum conditione & situ remotiori vel propiori, pupilla plus vel minus coarctetur vel dilatetur, tum lens exsucca & inspissata, tum ejusdem capsula quodammodo convellitur. Alii vero paulo aliter, & ut mihi videtur, accuratius sentiunt, existimantes, humorem vitreum colliquari & dissolvi, ac vel ideo consistentiam suam amittere, & fluidiorem justo effici, lentem vero crystallinam e contrario indurari & condensari. Quibus positis, facile adparet, lentem, sustentaculo suo orbatam, ad quosvis motus oculi moveri & veluti fluctuando circumagi. Colliquationis vero humoris vitrei causa in certo, quem habui, casu, mihi olim visa est vehemens oculi percussio, qua tota quasi fabrica ejus admodum labefactata fuit, & cataractam fluctuantem produxit, cum pupillæ dilatatione simul relicta (6). Quod colorem cataractæ attinet, is variat, juxta conditionem soliditatis lentis præternaturaliter inductæ & humorum admixtorum indolem, putabilis &c.; ita enim dextrimus quidam & in re medica versatissimus in subjecto temperamenti melancholico-bilioli cataractam nigricantem adnotavit.

## §. XIV.

Signa diagnostica cataractæ consummatæ seu, ut loqui amant, maturæ, vix crediderim exacte determinari posse, multo minus ad mentem veterum tamdiu expectandum esse arbitror, donec plenaria visus abolitio per cataractam inducta fuerit, seu maturationis signa appareant, cum hæc mora malum quandoque immedicabile reddat, de quibus vero plura infra adferre placet.

## §. XV.

Frequentissime pariter accidit, ut in memorata oculorum affectione paralysis nervi optici simul adsit; de qua ut convictus sis, scrutaberis, num visus multo debilius sit, quam quidem à cataracta fieri solet: nam cataracta non omnimode & totaliter patientem visu privat, sed eum dumtaxat hebetat, minuit & obscurat, ita ut umbræ cujusdam indistincta species oculis

oculis adhuc obversari videatur : in paralyfi vero nervi optici perfecta ut plurimum adest cœcitas. Deinde opacitas, à cataracta progenita, non augetur, licet visu distincto omnino destituatur æger, aut certe visus abolitio opacitati lentis non respondet. Causæ tandem paralyfis nervi optici quædam aut sunt cum causis cataractæ communes, aut ab ipsa cataracta nonnunquam productæ : videatur *Thesis* Dn. le Moine *med. Parisens.*, *an deprimendæ cataractæ expectanda maturatio?* In §. 4to. 2. & D. HALLER *p. 505. vol. 3.* Plura de his signis in authoribus legantur.

## §. XVI.

Consideratis itaque signis diagnosticis, atque causis cataractæ, nec minus hujus atque ægri conditione cognita, ad prognosin properandum, & circa eam hæc notanda sunt (1). Cataractæ vix ac ne vix quidem, nisi admodum rarissime, & saltem incipienti, diætæ & phar್ಮacia medetur, sed solius medicinæ manualis seu chirurgiæ opera requiritur, nisi mora diuturnior medendi spem præcluserit (2). Si cataracta glaucoma vel guttam serenam &c. comites habeat, chirurgica ope malum non extirpabitur (3). Si cataracta membranacea vera cataractæ crySTALLINÆ veræ simul junctæ fuerit, operatio dubii erit eventus (4). Cataracta fluctuans, unanimi consensu, à chirurgiæ peritis incurabilis pronunciatur; interim tamen operatori provido suscepta operatio forsitan felicem spondere poterit effectum, si eam, quæ pupillam occupat, maculam distorquere & absumere didicerit (5). Cataracta demum fibrosa difficilius longe curabitur, & facilius cataractam veram, scilicet ejusdem ubique consistentiæ tolles (6). Cataractæ color non equidem omnis certitudinis optati eventus signa præbet, nisi opacitas in toto, quem occupat, ambitu, æqualis appareat, & eadem eandem lentis duritiem manifestet: judicabis enim non prorsus à veritate alienus, cataractam requisitam consecuturam esse consistentiam, qua præfente, nisi quid obstet, facile deprimi queat (7). De maturatione jam jam mentionem iniecimus & diximus, quod, quo longiori moræ maturationem committimus, eo magis operationis effectum quandoque impediamus. Videtur etiam nervorum opticorum paralyfis, (uti in diagnosi dictum fuit), exinde facile exoriri posse. Imo hac ipsa mora perfacile fieri poterit, ut cataractam, capsulæ & uvæ adhærentem, eidemque quasi adnatam, sero nimis experiaris, quod sane in medendo negotium dextertate tua majus causabitur: vid. *Clar. Heist. in institut. chirurgic. p. 603. §. 20.* Optima vero, tum ægro, de visus restitutione sollicito, tum chirurgo, de cataractæ destructione cogitanti, spes affulget, si cataracta vera solitaria, & nullius falsæ sodalitiæ simul coexistentis complicata sit, si opacitatis etiam puncta ejusdem per omnem peripheriam soliditatis sint, ipsaque cataracta haud inveterata fuerit, (licet eandem quoque feliciter curatam fuisse exempla testentur), & si denique pupillam de facultate sese



contrahendi & dilatandi nihil aut certe non adeo multum amisisse constat. Hæc vero signa, etsi prognosin optimam formare videantur, & spem felicis operationis confirment, nihilo secius, chirurgum, (quemadmodum in omnium morborum prognosi), cautum esse oportet, non enim certum omnino præfagiunt eventum. Videatur *Doctoris Schankebanck dissertatio, generalia monita circa prognosin rite instituendam tradens, anno 1733. Hale sub præsidio D. Junckeri habita.*

## §. XVII.

Quamquam etiam omnia indicia optimæ notæ appareant, nemo tamen negare audebit, sub ipsa operatione facillime contingere posse, ut optimam prognosin sinister sequatur effectus; quem vel ipse sibi æger oculi distortionem & motu accersere valet in summam sui perniciem. Dexterrimus quoque & versatissimus in arte chirurgus, licet eum nihil de structura artificiosissimæ oculi machinæ lateat, licet cautissime, & prorsus suspensa manu acum dirigat, omnemque industriosissime observare nitatur regulam, licet nunquam hæctenus fallentem tulerit operam, spe sua excidere potest; quemadmodum id experientia comprobatur, & anatomiam oculi callenti hæc ignotum esse potest. Quis enim, experientissimus licet fuerit, adeo secure operationem processuram sibi pollicetur, ut nulla plane nervorum ciliarium læsio, quæ ferme inevitabilis est, simul contingat? Horum autem læsio, operationem, cæterum dexterrime administratam, frustraneam reddere potest, & æger fato suo minime eripitur, cujus rei olim testis fui.

## §. XVIII.

Omnes quidem homines visus integritatem, ejusdemque, si ablata fuerit, restitutionem, summopere optant, rarius nihilominus, primis mox exordiis, ubi hebetiorem visum observant, congruam & adæquatam medelam quærunt. Casu interim oblato, indicationes formandæ erunt juxta naturam mali. Quod si ergo in fluidis causa delitescat, nimirum in eorum spissitudine & tenacitate, selectissima remedia adhibenda erunt, quæ imminentem condensationem lymphæ lentis crystallinæ impediunt atque dissolvunt, ne malum ultro serpens, eam induret, dummodo diuturnior mali mora hanc medendi methodum non effecerit frustraneam. Tanquam præstantissimum inter tot remedia peritissimi artis commendant millepedes, veluti efficacissimum resolvens, quorum ope stagnantis & in coagulum vergentis lymphæ condensationem prohiberi adserunt. Nec defunt tam in Gallia, quam in Hollandia, qui energiam millepedum ad visciditatem humorum dissolvendam eximie deprædicant. *Clar. Ludolff Prof. Regius Berolin.* de re medica optime meritis, millepedes in catalogo remedium inter diuretica recenset, quorum principia activa in acri quodam salino



lino consistere gustus prodit & manifestat. Commendat proinde usum eorum citatus Vir famigeratissimus in morbis, a lymphâ viscido-tenaci & inertî oriundis. Præstantiores autem esse creduntur, qui in locis petrosifis colliguntur. Vid. plura in *Prælect. chym. Experient. D. Neumanni p. 1286.* Mirandum tamen, clariss. virum, & in chymicis optime versatum reticere indolem salis millepedum, dum negative saltem adstruit, eum saltem non esse nitrosum. Exercitatissimus *Dn. St. Yves* Parisiensis, & felicissimus affectionum oculorum domitor, potentem iis largitur virtutem & efficaciam. Propinat namque eosdem per integrum mensē in jure carnis vitulinæ, cum herbis quibusdam cocto, interposito nonnunquam cathartico, deinde per menses aliquot, singulis diebus, de eorum pulvere gr. XV. exhibet, semelque singulo mense alvum movet. *Clar. Boyle in philosoph. experim. p. 154. & 155.* millepedes, cum vino albo exhibitos, unicum & præstantissimum esse in cataracta jam formata remedium internum adfirmat. Et *D. Woolhousius* denique eorum usum commendat in actis Trevoltiensibus mens. Jan. 1706. art. 10. [a].

## §. XIX.

Sed ne in recensione plurium Clariss. Virorum, de usu millepedum differentium, longior sim, id saltem innuere adhuc volo, minime quidem convenire, a tantorum Virorum experientiis omnimode dissentire, non esse tamen etiam necesse, ut in eorum opiniones & verba juremus. Elucescit quidem, etiam a priori, eorum effectus haud contemnendus e principio acri salino, quemadmodum id dilucide in *Elementis pharmacologiae universæ laudatus Clar. Ludolf docet.* Verum, convictus loquor, præstantiora & magis activa prostant hujus generis pharmaca, quæ humores spissos attenuare & crassi naturali restituere queunt. Quis enim in hoc passu

[a] Cum hæc jam scripta essent, subministravit nobis suum de millepedis judicium *D. Fabricius* Pharmacopola Berolinensis solertissimus, quod, haud sine laudis præfamine Viri in chymicis versatissimi & admodum gnari, hoc loco subungere placet. Testatur nempe, millepedas continere saltem quemdam nitrosum imperfectum, aphronitro in cellis excrecenti similem, cui juncta sit salis communis portio exigua, quam sapor prodit: solvitur menstruo aquoso quarta millepedarum pars, & post evaporationem extractum quoddam mucilaginosum salinum relinquitur. Spiritus vini millepedis superfusus colore, viridescenti propinquo, tingitur; ex quo concludit Vir prælaudatus, pauxillum quoque resinæ eidem immixtum esse. Millepedæ etiam pulverisatæ & integræ, uti porro retulit, effervescent cum acidis, non ideo quidem, quod sal alcali aut urinosum iis inhæreat. sed potius ob partes terreas, quæ, veluti conchilia, calefcentis sunt idolis. Nec deficit experimentum, quo luculenter veritatem opinionis suæ comprobare valet; nam menstruum aquosum, quo partes solubiles millepedarum extractæ sunt, cum acidis minime effervescent, sed coagulatur, residuæ vero partes terreæ admodum cum iis effervescent. An quoque saltem ammoniacalem contineant, facile etiam explorari poterit, si experimentum cum majori millepedarum quantitate instituire cuidam placeret.



su non tribuit majora encomia mercurio, camphoræ, sulphuri antimoni aurato tertiæ præcipit. &c. ? Quorum usus, five per se, five cum aliis remixta exhibeantur, uti ♀ dulcis cum asellis, commendatur. Cum vero præsentis instituti non sit, horum remediorum examen instituire, de iis quædam obiter saltem attulisse jam sufficiat. Plura suppeditabit legere cupienti *Clariss. D. Astruc in tractatu de morbis venereis*; *Dn. Pott in Dissert. de camphora circumspècto usu medico anno 1722. edit Hale Magdeb. Conferrri etiam possunt Dn. Schreiberi in commercio Literario Norimberg. observationes & cogitat. de Peste, quæ anno 1738. & 1739. in Ucraina grassata est.* Auxilium quoque, a topicorum usu expectandum, tantum non est, ut ea cum præstantioribus eandem provinciam obtineant, aut meliora, iis in usum vocatis, negligantur, de quibus videantur *Clariss. Nicolai in annotationibus super libr. de morbis oculorum, itemque Dn. St. Yves, qui ita de illis disserit: Difficile est, ut penetrent per membranas & resolvant impacta. Et loco eodem: aliqui tanquam optimum remedium applicant mercurium soli capiti & proxime ad oculos usque ad salivationem: Verum & hæc methodus emolumentum peculiare, ut nihil videtur, non spondet.*

## §. X X.

Quando partes solidæ tonum suum amiserunt, & ab elatere suo recesserunt, adeo ut ob laxitatem suam humores consueta lege propellere nequeant, hi in viis suis cumulatus congregantur, immobiliores evadunt, stagnare coguntur, & vel inde magis incrassantur, atque cataractam producant. In horum omnium causam sedulo pariter investigandum, atque videndum erit, num scilicet ophthalmia contumax, hemicrania frequentior ac diuturnior &c. ansam præbeant? In hisce enim affectibus, insolito sanguinis affluxu, oculi vasa interna nimium distenduntur, & cataractæ via sternitur. Quare, rebus sic comparatis, nimius sanguinis humorumque impulsus aliorum derivandus erit, ne nimio impetu & copia humorum oculi vascula obruantur. Id præstabunt medicamenta diluentia, attenuantia, roborantia, diuretica, leniora purgantia, pediluvia & maxime vesicatoria & venæ sectio, vice repetita & convenienti ordine administrata, & similia.

## §. X X I.

Sed missis remediis pharmaceuticis aliisque: ad describendam ipsam operationem chirurgicam accedam. Lente enim eo usque indurata, ut cataractam crystallinam jam jam formatam esse omnibus notis compertum fit, nihil morari licet, sed confestim ad operationem confugiendum est. Plurimæ quidem supersunt methodi & normæ, quibus cataractæ depositionem suscipiendam esse Authores statuunt, inter tot tamen, quæ traduntur, duæ saltem in usu hodiernum sunt: quarum alteram, quæ maxime



xime ab omnibus passim præfenti ævo eligitur, authores, uti *Mr. Maitre-Jean*, *Mr. St. Yves* &c haud fatis perspicue descriperunt. Alteram, priori recentiorem, inventor ejus *Dn. Ferren* Doct. Med. Facultat. Parisiensis, (cui ob fidelissimam instructionem ad cineres usque devinctus sum), communicavit 1717. Academiæ scientiarum Montspeliensi, licet *Dn. Petit* Doctor Medicinæ Parisiensis ejusdem sibi arrogare inventionem non erubescat; quemadmodum in erudito alias schediasmate, 1728. Academiæ Parisiensis exhibitio, evincere allaboravit. Eodem anno *Vir Clat. Maine*, Medicus Parisiensis; anno vero 1732 *Vir Doctiss. Ferren* hac de re commentati sunt, & anno tandem 1740. *Cursus operationum chirurgicarum experientissimi Dn. Dionis cum notis Viri Celeber. Dn. la Faye* emendatio produit; in quibus singulis operationis hujus administratio fusissime traditur. Pluribus itaque annis laudatam operationis methodum usu venisse, ex paulo dictis constat. Quamvis igitur is tutissima sit, ac sæpissime jam adhibita, mirandum tamen, quod non solum in pluribus Germaniæ, verum etiam in multis Galliæ provinciis ejusdem excellentiam plurimi ignorent. Pro mea sane sententia illam omnes imitari debent, quot quot cataractæ auxiliatrices admovere manus decreverunt, dummodo, comparata sibi prius oculi structuræ cognitione exactissima, authores præfatos diligenter pervolverint.

## §. XXII.

Vidi per sæpe maximo oblectamento operationis ejusdem successum optatissimum Lutetiæ Parisiorum, licet viro felicissimo, qui eam adornabat, hæc ipsa methodus nondum perspecta, ut mihi videbatur, fuisset; quod operationis tamen securitati minime contradicit. Non raro enim accidit, nos quædam ad amissim & assabre præstare, licet rationem adæquatam, cur hæc ita & non aliter fiant, reddere nesciamus. Eandem hanc operationem *Cel. Taylor*, oculista Anglus, (qui superioribus annis multo cum strepitu in erudito orbe aucupari nitebatur applausum), imitari conatus est; uti id ipsum ex *Celeber. Heisteri insit. chirurg.*, ut & ex proprio vix nominati authoris libro, Parisiis anno 1738. *mechanismo oculi* editio, videre licet; quem posteriorem avidè pervolvens, minime talem methodi descriptionem reperire potui, qua expectationi meæ satisfaceret, sed potius fat obscure, ne dicam, confuse, eam tractationem exaratam esse, cum pluribus modeste sentio. Experientia quoque me convicit, non adeo multum ejusdem dexteritati fidendum esse, quoniam, uti scripta testantur, minus claram de artificiosa hac operatione concepit ideam; eandem insuper parum feliciter succedere observavi, licet multis encomiis encheireses suas extolere, irritumque earum successum excusare perbelle adlaboraverit. Commendatur nihilominus a *Celeb. D. Heistero* his verbis. *Interea tamen præcipua momenta revera merentur, ut a prudentioribus medicis oculariis probe perpendantur, atque cum judicio imitentur. Tempus præstantiam & effectus docebit.*

Tom. II.

N

§. XXIII.



## §. XXIII.

Quo hujus igitur operationis præstantiam clarius perspicias, & eo fecuriorem effectum ab ejus administratione promittere queas, hæc probe notanda sunt (1). Ex supra dictis constat, cataractam crystallinam veram in capsula sua libere hospitari, & minime eidem adhærere; quod si vero observaveris, eam adhærere, cataractam complicatam seu mixtam esse judicabis, adeoque operationem aut non tentabis plane, aut effectum dubium, ne dicam, nullum, prædices. Haud minimam vero difficultatem parit disquirentibus, ut certo constet, an cataracta adhæreat capsulæ suæ, nec ne: adeoque istud exploraturus in id animam intendas, & videas necesse erit, num uvea quoque adhæreat capsulæ, nec ne, itemque an hæc simul opaca reddita sit; quod ferme toties observatum legimus, quoties cataracta capsulæ cohærere visa fuit. Parisienses tamen, se cataractam quondam capsulæ cohærentem dõprehendisse, prodiderunt, nulla capsulæ opacitate conspicua. Præterea, generata cataracta crystallina, capsulam paululum compactiorem & solidiorem apparere, tradunt, cum pelluciditatis aut nullo omnino aut vix notabili detrimento (2). Cataracta modeste ex capsula detorquenda est, ita ut hæc in parte anteriori illæsa permaneat. (3) Incisio igitur adornanda in parte capsulæ posteriori, perque eandem in humorem vitreum cataracta translocanda; in quo, (notantibus supra laudato *Clariff. Dn. Ferren in Thesi, atque Dn. Deidier in tractatu de tumoribus*), ne vestigium quidem cataractæ superfuisse in defunctorum corporibus, quibus viventibus operatio hæc administrata fuerat, compertum est; luculento sane iudicio, eam inibi penitus dissolutam fuisse (4). Demum cataracta depressa nunquam nativitatis suæ locum repetet; quando semel debito modo in humorem vitreum propulsa fuit (5). Denique ita acus dirigenda est, ne in cameram posteriorem humoris aquei immergatur. Plura, eaque notiora, brevitas causâ, commemorare supersedeo.

## §. XXIV.

Proinde omnibus animadversis, quæ felicem operationis eventum spondent, chirurgus, peritiæ suæ fidens, operi se accingat, præmittatque remedia generalia, (ex mente enim *Galen* non sanandus est oculus, nisi prævie sanato capite, neque hujus restitutio tentanda est, nisi prius reparato integro corpore), de quibus tamen hoc loco speciatim agere, supervacaneum duco: neque etiam in recensendis circumstantiis & adminiculis minoris momenti prolixior ero; ea enim, uti & quo situ locandus sit æger, aliunde peti possunt. Porro utuntur quidam instrumento, quod speculum oculi vocant, eoque oculum firmare student, satius vero erit, eo non uti. Acum quoque (*die Staar-Nadel*), in operationis hujus usum desti-

destinatam, *celeb. St. Yves* in libro suo *hujus argumenti* describit. Ministro itaque ægri caput, paululum reclinatum, firmius sustentante, atque duobus digitis superiore oculi palpebram diducente, chirurgus pro re nata, vel lævæ manus digitis duobus, palpebram deprimit inferiorem, atque alterius manus digitos, auricularem scilicet & annularem, in regione temporum ægri, qui oculum versus nasum dirigere, & immotum servare debet, firmat, tribus vero prioribus acum, distantia duarum circiter linearum, à cornea transparente infigit, pertunditque tunicam oculi conjunctivam, albugineam, scleroticam, choroideam & retinam, & postquam in humorem vitreum pervenit, acum ad partem posteriorem & centrum lentis crÿstallinæ dirigit, (tutius futurum existimo, si incisio capsulæ in ejus latere, non vero in pupillæ medio, fieret; hoc enim loco ea pro cataractæ depressione magis accommodata videtur; imo incisio transversalis partis posterioris & inferioris capsulæ infra pupillam haud inconsulto instituitur), manum tamen tantisper tempora versus retorquere debet, ut apicem acus antrorsum infigere, capsulamque lentis crÿstallinæ parte sua inferiori incidere queat, (quam incisionem *Clar. Ferren* in *prælectionibus suis privatis la. Boutonniere* vocat), postea acum versus partem cataractæ superiorem protendit, aut ipsi cataractæ infigit, atque hoc pacto cataractam deorsum retro in humorem vitreum agit, eamque aliquantulum depressam tenet, quo humore vitreo undiquaque circumfundatur, hic vero, disrupta sua membrana, locum crÿstallinæ occupet.

## §. XXV.

Accidit tamen quandoque, ut cataracta capsulam deserere renuat, quo præsentem casu iteratis vicibus, pro rei exigentia, depressio ejus in humorem vitreum tentanda est: quibus peractis, oculorum palpebræ altera manu, qua inferior oculi palpebra depressa erat, clauduntur, acusque cautissime eximitur, cavendo, ne subito lucis radii in oculos irruentes tenerimis retinæ fibrillis noxam inferant, atque posterius malum pejus reddatur priori. Tandem inflammationi medicamentis consuetis decenter proficitur, nimirum spirituosius temperatioribus, vinosis, camphoratis &c., venæ sectione aliisque, quæ necessaria videbuntur. Galli, operatione peracta, anodynum propinare consueverunt, ad arcendos nimirum vomitus, qui nonnunquam supervenisse observati fuerunt.

## §. XXVI.

Methodum nunc descriptam, ejusque utilitatem & præcellentiam, cum olim, occasione publicæ demonstrationis, proponerem & collaudarem, infringere quidam conabatur de se medica vir præclare alioquin meritis, ac magnæ & felicitis famæ, existimans, si capsula lentis crÿstallinæ juxta



methodum prædictam in parte anteriori integra permaneret, eandem elapsis pauculis septimanis indubie obscurari debere, experientiam suam pro argumenti sui confirmatione adducens. Verum enim vero, si hæc observatio, (à falsæ cæteroquin operationis suspitione vindicata), omnino veritate niteretur, quod tamen vix credo, unica saltem esset, quæ nondum veritatem assertionis meæ evertit, neque experientiæ nomen meretur; magnum enim experimentum inter & experientiam versatur discrimen, & una hirundo (ut commune fert proverbium) non facit ver. Utut vero se res habeat, uni huic experientiæ plures felicioris successus, tum ex observatione aliorum clarissimorum virorum, tum ex propria depromptas experientia opponere possum observationes. Præterea haud demonstratum est, operatorem illum, cujus sinistrae administrationis historia argumentum contrarium suppeditavit, juxta methodum à me traditam processisse; quin imo, observatis etiam in operatione observandis, in capsula lentis crystallinæ dispositio ad cataractam membranaceam veram forsan adfuit, quæ per ipsam operationem, cæterum debite institutam, in veram cataractam mutata videtur. Ejusmodi cataractam mixtam in quodam adhuc vivo subjecto Berolini conspexi, & à quocumque illa adhuc conspici potest. Cujus rei exemplum etiam alibi vidi, & cataracta crystallina rite deposita, cataracta membranacea vera illico evidenter conspicietur.

## §. XXVII.

Quis igitur non clare videt prærogativam hujus methodi, & summam ejus utilitatem? Quippe qua celerrime visus amissi restitutio procuratur: quod sane, maturitate expectata, haud ita tuto evenit, imo hanc ipsam maturationis expectationem ansam præbere guttæ serenæ genesi, supra jam innui. Porro, eadem hac methodo adhibita, cataractas immaturas & caesosas (uti eas vocant) felicissime absumimus. Constat enim, soliditatem naturalem lentis crystallinæ acui jam resistere, & eo magis ideo illud facere, quando præternaturalem duritiem adeptam fuit. Denique hac via incedentes, si saltem caveamus, ne anteriorem capsulæ lentis crystallinæ partem lædamus, id commodum nanciscimur, cujus mentionem Clarif. Ferren in *Thesi sua* p. 40. diferte his verbis injecit (1). *Suffusionis partes duræ, molles, lactescentes &c. à camera oculi anteriori avertentur, & plurima operationis impedimenta amovebuntur* (2). *Vitreum corpus, crystallina lentis sedem jam tenens, & in singula membrane illius puncta equali virium momento nitens, parte sua anteriori abibit in spheræ segmentum, quo radii lucis apte refringentur & crystallini defectus pensabitur: dum perfossa pro more solito ea membrana, neque vitreum corpus idoneam ad radios congregandos figuram induere, neque suffusionis fragmenta à camera oculi anteriori averti posse evidens est. Cæterum suffusionis flocculos, per vitreum corpus dispersos, haud multum curabis: constat enim, cataractam ipsam depositam ita absorberi posse,*

posse, ut ne minimum quidem ejus vestigium supersit, quod in duobus oculis, cum prae laudato Professore Deidier factis, observavimus. Nulla pariter, adhibita hac methodo, ligamenti ciliaris læsio, quæ, si in parte anteriori incisionem faciamus, facile accidit, metuenda erit, uvæ quoque integritati prospicimus, inflammationis periculum evitamus, aliaque prava accidentia, læsionem præfatam concomitantia, arcemus. Conf. *Experient. D. Dionis cursus operationum chirurgicarum p. m. 556.* Consentientem præterea respectu optimæ hujus methodi habeo virum nunquam satis laudandum doctissimum Dn. *Morand* in arte chirurgica facile principem, qui disertis verbis in proxime ad me datis amicissimis literis asseveravit, *methodum nostram optimam & securissimam esse*: cujus consilio aliam adhuc cautelam, præter allegatas ad felicem operationem necessariam, debeo: jubet scilicet, à crebriori acus in humore vitreo distorsione abstinere, ne ea forsitan quædam membranæ illius opacitas inducatur. De hoc casu nulla quidem mihi nota reperitur observatio, nihilominus circumspectio, etiam summa, nunquam nocebit.

## §. XXXVIII.

Benevolo Lectori, uti spero, haud displicebit, æquo animo interpretari, quæ, pro asserti mei veritate stabilienda, subnectere, quæque qualicumque industria propria experiri adlaboravi. Cum scilicet, cæca minime auctoritatum & hypothesium amore ductus, veritatis studio insisterem, ut tandem certius firmiusque de quibusdam quæstionibus controversis eruere testimonium, & maxime de veritate descriptæ methodi me convictum reddere possem, deficiente occasione, in subjectis viventibus tentamina mea instituendi, accidit, ut anno præterito amicus meus *D. Schæffer*, chirurgiæ studiosissimus, (*Pensionnaire du Roi*) quique iis, qui infirmorum curationi in magno nosocomio Berolinensi, vulgo *la charité* dicto, destinati sunt, præpositus erat, oculum, cataracta crystallina affectum, e cadavere eo tempore defuncti cujusdam eximeret, meæque disquisitioni offerret. De prima igitur hac occasione, propriis oculis manibusque experimentum diu flagitatum suscipiendi, plurimum gavifus, sequenti modo rem aggressus sum: singulas nempe oculi tunicas detraxi, humorem vitreum dumtaxat, & in eo capsulæ suæ pellucidæ inclusam lentem crystallinam, cataracta obscuratam, volæ manus meæ imposui; & cum instrumentum, cataractæ depositioni adhiberi solitum, ad manus non esset, acu majuscula, usui ordinario dicata, capsulam fissura longitudinali in parte superiori antica ad imum usque divisi: deinde acum humori vitreo inferui in parte posteriori capsulæ lentis crystallinæ, atque, illa sursum versus, una cum cataracta, in locum fissuræ capsulæ partis anterioris detrusa, protinus cataractam adhuc molliusculam per dictam aperturam exturbavi. Alio rursus tempore prædictus amicus meus *D. Schæffer* duos oculos, cataractis mixtis adfectos, quos primo mox intuitu, citra oculorum tunicarum separationem, tales agnoscebam,



obtulerat. In harum disquisitione eodem, ut nunc retuli, modo processu, præterquam, quod acum operationi huic competentem adhiberem, eamque, illico humori vitreo immisam, in partem posteriorem capsulæ dirigere, incisioneque tentata cataractam crystallinam in humorem vitreum levissimo negotio translocarem. Capsulam lentis crystallinæ, quæ quasi tota opaca & solidior paulo, quam in statu naturali, deprehendebatur, in parte antica inviolatam reliqui. Cataracta crystallina omnino condensata conspiciatur, mollis tamen quædam, albida, & mucosa humiditas, quæ de lentis crystallinæ superficie, uti videbatur, secedebat, in capsula remansit. Plura investigare volentem hæcenus occasio destituit, nisi, quod ante menses circiter decem in homine vivente laudatam methodum exercere licuerit, eo cum successu, ut patiens intra quatrimum minutissima quæque exactissime discernere valeret: superveniente vero tussi immani, quæ validissimam totius corporis concussionem efficiebat, ingentes oculorum sequebantur dolores, cum eorundem inflammatione pessima, nec nisi longe labore & mora dissipanda; quo factò, omnia, quæ visu assequi nitentur æger, rubra & ignea eidem apparebant, flavus tandem omnium objectorum eidem videbatur color, donec visum penitus amitteret: ipsa vero pupilla valde contractabatur, atque in hoc statu perseverabat. Incisionem ipsam retro capsulam, paulo extrorsum à latere, non in parte pupillæ medio opposita, institui. Quæ denique de deligationis apparatu dicenda forent, relata inveniuntur apud auctores.

## §. X X I X.

Nemo vero, ut confido, me inculpabit, quod oculi descriptionem anatomicam sicco, ut aiunt, pede præterierim, cujus adcuratissima cognitio in ardua hacce operatione desideratur. Consulto enim id factum est, partim ne prolixior essem, partim, & quidem maxime, quoniam apud innumeros propemodum rei anatomicæ scriptores oculi delineatio adeo eleganter profert, ut nihil addi posse videatur. Minus quoque diffiteor, præsentis tractationi multum luminis accedere potuisse, si cæteras cataractæ species, seorsim de singulis agendo, præmissem: verum, quicquid brevitatis gratiâ hac vice prætermisi, alii tempori reservatum esto. Plures pariter quæstiones superesse, quæ in hocce opusculo haud enucleatæ fuerunt, lubens largior; quas vero opportuniori tempore, quo plus mihi erit otii longiorque experientia, resolvere constitui; interim de his à doctioribus meliora expectans. Præsentibus enim duntaxat excitare volui attentionem apud eos, qui artificiosæ huic operationi administrandæ operam suam impendunt. Neque arbitror, hæc, qualiacumque sint, absque fructu futura, modo æquo animo & prudenti adhibito iudicio interpretentur.

## §. X X X.

Perpendis igitur, ea qua fieri potuit brevitate, causis generationis cataractæ,



tractæ, ejusque diverſitate, & deſiptionis methodo, patet, alia adhuc operationi actuali præmittenda eſſe remedia, quibus humores ad debitam craſin revocentur atque in fluiditate naturali conſerventur, & alia quoque, quibus partibus oculi ſolidis conſulatur, ut per eas ordinatus humorum fiat circulus, alia denique operationi ſubjungenda eſſe, ne inflammatio ſubſecutura felici cæteroquin operationi novam ſuperinducat tragœdiam, & leges tandem obſervandas eſſe diæteticas, ne, admiſſo noxio quodam potentiorum & eſculentorum genere, aut accedente animi perturbatione, corporis motu nimio &c., ſpe optati finis excidamus: Quæ cum omnino vera ſint, omnium me impetraturum conſido aſſenſum, quod chirurgus, huic ſimilibuſque ſe devovens operationibus, negotia ſua ſalutari proſequi nequeat eventu, niſi e ſcholis medicis præcepta, conſilia, aliaque ſibi neceſſaria ſubſidia petere ſciat. Concedent quoque, medicum, univerſam licet materiæ medicæ penum perquiſiverit ſtudioſiſſime, atque ſelectiſſima & maxime appropriata adhibuerit remedia, niſi chirurgiæ perſæpe acceſſerit pericia, congeneribus præcipue malis, de quibus nunc diſſerimus, dicam minime ſcribere poſſe. Ex quibus, ut in limine dictum eſt, clare ſequitur, maximam inde natiſturam utilitatem, ſi medicinæ chirurgiæ & huic Medicina amico jungeretur connubio.

## F I N I S.

**D**iſſertatione hac jam jam ſub prelo ſudante, curioſa omnino & admiratione digniſſima obſervatio de *viſu, per ſpontaneum cataractæ deſcenſum reſtituto*, in *Miſcellaneis Berolinenſibus Tom. IV. Part. 3. p. 258.* facta mihi fuit obvia. Cum in ea autem multa reperiam, quæ illuſtrandæ diſſertationi meæ inſerviunt; & adſerti primarii veritatem, facta debita adplicatione, egregie confirmant, potiora hoc loco adnotare placuit: Cum § vo XI. Diſſertationis meæ conferantur, quæ l. e.p. 262 No. 7. extant: *ſoror mea me monuit* &c., cum § vo XXV., quæ occurrunt p. 264. n. 10. *aſt non toleravi lumen clarum* &c., & cum §. XXV. VI. VII. VIII. IX. X., quæ p. 266, b., 277. c., & 284. ſeq. leguntur. Illuſtravit hanc obſervationem epicriſi ſua Vir perſpicaciſſimus, & in omni re literaria, maxime autem iis, quæ ad ſcientiam naturalem & medicam ſpectant, experientiſſimus D. D. *Ludolfus Prof. Med. Berolinenſis* famigeratiſſimus, ut ea vel ideo ſaltem legi mereatur. Tanta enim perſpicuitate, tantoque judiciî acumine pro more ſuo rem aggreditur, ut omnem omnino in enucleanda ac demonſtranda novitate rei & veritate paginam abſolvat, & nullo perlegentibus dubio relicto, cunctos in aſſenſum rapiat.





DE



## P R Æ F A T I O.

**D**E suffusione, inter innumeros morbos, quibus oculi patent, quam maxime vulgari, aliqua memoria prodituro, non pauca in mentem venerunt, quæ, quo minus, quod mihi propositum fuit, exequerem, impellere me poterant, atque a difficillima hujus expositione animum abducere. Atque ex his quidem non minimum id fuit, quod nuper admodum civium nostrorum mentem linguamque occupavit, peractæ in hac urbe, a famosissimo circulator Joanne Taylor, cataractæ curationes numerosissimæ. Facile enim futuros esse prævidebam, qui me, vel inscriptione hujus libelli inspecta, criminentur ex his ipsis curationibus, de cataracta ita scribendi occasionem arripuisse, ut, quæ a magistro illo didicerim, partim tanquam mea proponerem, alienisque adeo me plumis ornarem, partim vero ejus errores, modo aliqui sint, acriter perstringerem. Hæc autem, ut me aliquantum commoverint, dimovere me tamen a proposito eo minus potuerunt, quo magis notum esse oculariæ medicinæ gnaris posse existimabam, me non heri demum cepisse animum ad oculorum morbos dignoscendos curandosque applicare, quoque diutius jam animo volueram ea, quæ nunc quidem, data occasione, publico hoc scripto, expono. Quod vero temerarios Taylori ausus attinet, quo minus eos publica quadam scriptione reprimerem, retinere me facile potuit hoc, quod sapientibus viris, & oculariæ medicinæ gnaris videbam ipsos parum probari apud plebem vero rationes parum valere. Sunt tamen, fateor, aliqua de oculariæ hujus medici medendi ratione his animadversionibus interspersa. Aliquanto plus valere apud me poterat tot præstantium virorum recordatio, qui de hoc argumento videbantur ante me ita egisse, ut nihil fortasse sit, quod non occupaverint. Ut enim de præcipuis tantum dicam, quid est adeo, quod in hac de cataracta doctrina sit a Brisseau [a], Antonio [b], Heistero [c], Woolhoufio [d], St. Yves [e], Petito [f] Medico, Duddell [g],

Mor-

[a] Traité de la cataracte &amp; du glaucome. à Paris 1709. 8. c. f.

[b] Traité des maladies de l'œil. à Paris 1722. 8.

[c] De cataracta, glaucome &amp; Amaurosi tract. Altorf. 1713. c. f. Apologia &amp; uberior illustratio systematis sui de cataracta, glaucome &amp; Amaurosi. ibid. 1717. 8. &amp; vindiciæ sententiæ suæ de cataracta, glaucome &amp; Amaurosi. ibid. 1719. 8.

[d] Dissertationes ophthalmicæ de cataracta, &amp; glaucome contra systema Dnn. Brissei, Antonii, Heisteri. Frf. ad Moen. 1719. 8.

[e] Traité des maladies des yeux. à Paris 1722. 8.

[f] Vid. Mémoires de l'Acad. Roy. des Scienc. de Paris an. 1725. 1726. 1730. præterea Lettre contenant des Reflexions sur ce que Mr. Hecquet a fait imprimer touchant les maladies des yeux. à Paris 1729. 4. Lettre, dans laquelle il démontre, que le cristallin est fort près de l'Uvée ibid. eod. &amp; Lettre contenant des Reflexions sur les découvertes faites sur les yeux. ibid. 1732. 4.

[g] A treatise of the Diseases of the Horny-Coat of the Eye, and the various kinds of cataracts. Lond. 1729. 8.

